

rum, qui Orientis res administrabat, posthabitis Romanis rebus, Constantinopolitano studerent Imperio, quum in ipso fœdere fuisset expressum, ut Veneti liberi juris essent, atque neutrius censerentur Imperii; non prius irritare destitit, quam ille Pipino filio, qui rebus Italiæ præerat, per literas mandasset, ut Venetos acri bello invaderet. Pipinus continuo in eam Venetiæ oram duxit, qua Heraclia continenti proxima & Equilium fuere. Consernati ad primam hostis famam locorum incolæ, diffisque mœnibus, neque opere satis valido, neque natura munitis, frequenti agmine profecti in Medoacum se ac Rivumaltum receperunt. Sed de Heracliani excidii causa, deque ipsa temporum novitate auctores ipsos omnino variare video. Bonitendius ita tempestatis illius res digerit, ut dicat, Mauricium Principem (cujus temporibus Carolus Gallorum Rex Longobardicas opes Romano Pontifici infestas, vetustumque propemodum gentis ejus in Italia regnum sustulit, ob quod ipsum Imperator declaratus est) quum in tanto Italiæ motu res Venetæ neque domi neque foris satis quietæ essent, quia discordiam civium prudenter sedasset, ac Venetos fines fortiter tutatus esset, magis non ad-versante quam probante populo, novum exemplum parumque salutare in Rempublicam induxisse, Joanne filio sibi collega in Principatus administratione assumpto: atque id ipsum non seni, quia non multo post vita decessisset, sed filio qui superstes fuit, ac nepoti, avito exemplo a patre in collegam cooptato, omnino male vertisse. Joannem præterea haudquaquam paternis artibus Rempublicam administrare adortum, præter alia immodica ejus Principatus scelera, Mauricium filium cum valida classe ad oppugnandum Joannem Gradensem Antistitem, virum ea tempestate inclytæ justitiæ, misisse. Suscepti belli causam neque ille neque alii tradunt: sed ideo silentio prætermisissam existimo, quia nulla forte fuit. Ita enim fere accidere solet, ut quum nequissimus quisque vult obesse, nihil in inferenda injuria minus respiciat quam causam. Impius filius impii patris jussa executus, Antistitem ipsum in suam potestatem redactum ex alta turri præcipitavit. Fortunatus Tergestinus, qui mox illi surrogatus est,

C

Joan-

762

*Bellum a
Pipino Ve-
neris illa-
tum.*

*Varia de
causa ejus
opiniones.*

793

*Joannes
Mauricii f.
Dux, Mau-
ricium ju-
niorem coo-
ptat.*

803

*Jo. Graden-
sis Antistes
a Mauricio
juniore in-
terfectus.*